

Disputatio Juridica 15401

De

32
DONATIONIBUS,

Quam 1632 3

Annunte divino Numine

*Ex consensu Magnifici Ictorum ordinis in Illustri
Academia Wittebergensi*

SUB PRÆSIDIO

*Amplissimi, Consultissimi & Excellen-
tissimi Viri,*

Dn. HENNINGI Grossen/

J.U.D. Prof. Publ. Curia Electoralis & Faculta-
tis Juridicae, nec non Judicij Provincialis in Inferiori Lusatia
Asefessoris gravissimi, Domini Præceptoris & Promotoris sui
æterno honoris & observantiæ cultu prosequendi

Placida disquisitioni publicè subjicit

GOTTFRIDUS BIESSERUS

Sorâ Lufatus.

Ad diem 7. Jul. in Auditorio Ictorum.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDC XXXII,

Tractatus Juridicus
de
DONATIONIBUS

Quam
Ludovicus de Anno Nativitatis
Christi MDCCLXXII
in Paderborna
Amplissimus Consiliarius & Auditor
Generalis

Dr. HENNINGI
H. D. Prof. Publ. C. Electoralis & Palatinus
in J. P. nec non J. P. Provincialis in
Electoralibus, Palatinis & Palatinis
electoralibus & Palatinis

Tractatus Juridicus
GOTTFRIDUS BISSERUS
Socius Palatinus
in J. P. nec non J. P. Provincialis in
Electoralibus & Palatinis

WITTEBERG
In Officina Typographica JOHANNIS RÖHMERS
ANNO MDCCLXXII





In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Materiam hanc nostram dignè laudare, debitaq; commendatione extollere nostri jam non est instituti; nec opus videtur, cum illam liberalitas & munificentia non parum exornent, quæ virtutes fastigio principali dignæ non immerito numerantur, tam enim præstant cæteris quàm magis ad communem humanæ vitæ finem, societatem dico, conservandam sunt necessaria. Nullum alium autem fontem habere donationem, unde manet & oriatur, quàm liberalitatem & munificentiam, cuius facile patere potest. *Fr. Conn. Com. lib. 5. cap. 9. num. 1.* Et olim quidem donationum hæc materia frequens erat, & quotidiana; nostris autem temporibus quamvis, liberalitate propè extincta, & mentibus hominum avaritiâ occupatis, non tam sæpè, ut apud antiquos, in judiciis foroq; versetur, ut inquit Julius Clarus *lib. 4. Sent. §. donatio in prin.* illam tamen prorsus omittendam nemo dixerit, nisi qui liberalitatem prorsus relegatam voluerit, referta enim est non paucis quæstionibus, quæ & in nostro foro non raro occurrunt. Sed ut sine longioris præfationis ambagibus ipsam statim rem aggrediamur, sit nostra.

A 2

Thesi.

THESIS I.

Dicta est Donatio à donando quasi doni datio tracta à græco δῶρον: nam ita græci dicunt δῶρον καὶ δωρεῖσθαι donum & donarie *l. sed. natus 35. §. 1. ff. de mort. caus. don. Franc. Conn. Com. lib. 5. c. 9. n. 1.*

II.

Donatio in genere est liberalitas, quæ nullo jure cogente, ex sola animi benignitate alteri fit & conceditur *l. donari 29. ff. de don. l. donari 28. ff. de R. I.*

III.

Nullo jure cogente, inquam, contraria enim sunt sponte dare, quod est donantis & dare coactum quod est ejus qui debet, ac propterea solvit *Donell. Com. l. 14. c. 10. n. 30.*

IV.

Illud etiam quod ob causam aliquam datur, seu remuneratoria donatio proprie donatio non dicitur, nisi quatenus justam remunerationis mercedem excedit *l. hoc jure 19. §. 1. pen. ac fin. ff. eod. Schneidov. Instit. de don. n. 4.* Est autem remunerari mutuo donum dare, quo donum dono pensetur, nam minus donum est. *l. minus 18. ff. de V. S. Generalius tamen est donum quam minus l. inter donum 194. l. minus 214. de V. S.* Omnis enim liberalitas vel ob causam aliquam est, vel plane ob nullam; illa proprie munus, hoc donum dicitur *d. l. 194. §. 214. ff. d. Tit. Goedd. l. 18. ff. de V. S. n. 3.*

V.

Sed & quod quis jure gentium debet, si solvat, non dicitur donasse, sed se liberasse, adeoque verba Papiniani quæ nullo jure cogente fit; non de Jure tantum civili sed & gentium intelligi debent *Fr. Conn. Com. lib. 5. c. 9. n. e.*

VI.

Duæ præcipuè donationis species ab Imperatore, in prin. Inst. de don. commemorantur, quod nimirum alia sit quæ fit inter vivos, alia quæ mortis causâ: velut nonnulli malunt, donatio aut est Simplex aut Conditionalis.
Conditionalis

ditionalis est, quando quid datur, ut tum demum accipien-
tis fiat, cum aliquid fuerit secutum, qualis est donatio mor-
tis causâ *l. 2. ff. de mort. caus. don.*

403

VII.

Donatio vero simplex absolutam præsentemq; libe-
ralitatem continet, & perficitur aut traditione aut pacto.
Hæc definitur quod sit pactum legitimum, per quod quis
alteri gratuito & in præsentiarum aliquid donat vel remit-
tit, ea mente, ut rem donatam nullo casu ad se reverti velit.
Et hæc donatio quidem propriè est donatio, quæ Imperatori
Justiniano inter vivos dicitur, ideo quod vivente donato-
re sortiatur effectum; *S. alia autem Instit. de don.* quam nos
primo considerabimus, & pauca postea de illa mortis causa
adjiciemus.

VIII.

Dixi in definitione in præsentiarum, non enim verbis
in futurum conceptis sed præsentibus constat donatio, &
verba in futurum concepta non donationem ipsam indu-
cunt, sed potius pactum futuræ donationis, inter quæ ma-
gna est differentia *Parladar. 2. rer. qual 3. num. 9. Donell. 13.*
Comm. 22. in f.

IX.

Efficiens causa donationis est, benefica donantis vo-
luntas, quæ tamen non facile præsumenda *l. cum de indeb. 25.*
in pr. ff. de probat. ita quidem ut & simpliciter tradens alicui
rem vel pecuniam non judicari debeat donare, sed vel depo-
nere commodato aut mutuo dare voluisse *Anton. Gomez. c. 4.*
n. 5. nisi personæ qualitas aliud suadeat, vel additum sit ver-
bum donationem importans *Dd. in l. cum quid ff. si cert. per.*

X.

Donare vero possunt omnes, qui suarum rerum libe-
ram administrandi potestatem habent *arg. l. in re mandata*
et C. de mand. prohibentur primò furiosi, cum enim do-
natio sine consensu fieri non possit, furiosus autem non
consentiat, sed potius absentis vel quiescentis loco habea-

A ;

tur,

tur *l. furiosus ff. de R. I. l. 2. ff. de Jur. Codicill. merito donandi facultate caret, l. Modestinus 23. §. 1. ff. de don.*

XI.

Haud quoque donare potest Servus, quid enim donabit? cui nihil proprium *l. contra 28. §. si filius aut servus. 2. ff. de pactis.* nec Prodigus cui bonis interdictum est *l. is cui. 6. ff. de Verb. obl.* nec Pupillus, nec Minor *l. 1. §. tot tit. de rebus eorum qui sub. tut. junct. l. 7. in prin. ff. de don. ubi rem simpliciter donans, eam perdere videtur. Treutl. disput. 9. Vol. 2. th. 3. lit. a.*

XII.

Donatio illa quoque rata non est si à patre in filium familias in potestate constitutum sit collata *l. cum de bonis C. de don. l. 1. §. 1. ff. pro donat.* nam ne momento quidem apud filium res donata remanere potest, sed statim ad ipsum patrem donantem iterum revertitur, *l. sive emancipatis. C. de donat.*

XIII.

Confirmari tamen ejusmodi donatio potest certis quibusdam modis; 1. Si pater filio in potestate constituto donans quid, juret, quod eam donationem revocare nolit *Julius Clarus lib. 4. §. donatio quest. 8. n. 8.* 2. Si pater moriatur *l. donationes 25. C. de don. int. vir. & uxor.* ubi olim extremum donatoris iudicium erat necessarium *l. pen. ff. de collat. dot.* Confirmatur ista donatio tacita patris ratihabitione post filii emancipationem *l. donationes 31. §. pater ff. de don. l. 17. C. eod. 4.* Si à patre facta donatio sit remuneratoria ob benè merita filii, quæ tamen propriè donatio non est. *Treutl. vol. 2. disp. 9. th. 3. lit. e.*

XIV.

Donatio facta à patre filio causa studiorum, irrevocabiliter valet, cum sit quasi castrense peculium. Unde & expensæ, quas pater fecit pro filio peregrè literis operam dante, tempore divisionis in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas

non

404
non patitur. *l. que pater so. ff. famil. eriso.* Est n. hæc causa studiorum valde favorabilis, ut scilicet adolescentes erudiantur, quod Reipublicæ maximè interest. Summus quoq; Princeps, si filiofamilias donaverit, propter excellentiam principalis dignitatis valet donatio. *Gaill. l. d. in fin.*

XV.

Filiusfamilias vi potestatis patriæ donare nequit, etiamsi à patre libera ei peculii administratio sit concessa, nec n. ad hoc ei conceditur ut perdat, *l. filiusfamilias 7. ff. in princ. de don.* Nisi justa & digna ratione motus, vel in dignitate constitutus, vel consentiente patre, cum n. pater in bonis filii vel proprietatem vel usum fructum habeat, non debet posse filius in præjudicium paterni usus fructus seu proprietatis de bonis suis disponere. Unde sequitur, quod si filius haberet aliqua bona castrensia, posset illa donare inter vivos, & sine consensu patris. *Ful. Clarus lib. 4. §. donatio quest. 6. n. 2.* ubi citat doctores, ex quibus concludit, quod in hoc nemo sit qui dubitet.

XVI.

Porro propria hæc donatio quoq; inter conjuges constante matrimonio prohibita est. *l. 1. §. 1. tit. ff. §. C. de don. inter vir. & ux.* ratio patet, ne scilicet ob mutuum amorem se invicem spolient, ut ita alter ditior, alter pauperior fiat, & ne concordia maritalis pretio conciliari videatur. *l. 1. 2. §. 3. ff. d. tit.* Si tamen facta fuerit confirmatur tum juramento c. cum contingat de Jurejur. tum morte donantis *l. 24. §. 25. C. d. tit.* etiam sine stipulatione & prævia traditione. *Trentl. l. d. th. 6.*

XVII.

Mutum & Surdum, quamvis naturâ nec fari possit nec scribere, donare tamen posse dicendum est, saltem res mobiles, quæ de manu in manum, ut dicunt, traduntur, & accipiuntur. Nam si decem aureos alicui dederit cum aliquâ significatione suæ voluntatis, quod eos à se ad alium transferre cupiat aut etiam volentem reddere non admittat, nec eos:

eos velit recipere, nihil impedit quò minus hæc donatio
iusta & perfecta haberi debeat. *Fr. Conn. lib. 5. c. 11. n. 1.*

XVIII.

De Jure Saxonico in adversa valetudine constitutus
regulariter donare non potest per text. *Weichb. art. 65. feint
Mann aber Landr. art. 52. ibi gloss. super verba Wer in tranct-
heit.* Quod tamen hodie non observari, sed usu tam sanos,
quam ægrotos donare libere posse testatur *Wesemb. in supple-
ment. ad Schneidov. Inst. de don. n. 40. lit. d.*

XIX.

Materia donationis sunt omnes res, quæ cadunt in pa-
trimonium nostrum seu hominum commercium, & domi-
nio nostro subjici possunt, *l. in edibus 9. §. fin. ff. de don.* & il-
læ quidem tam incorporales, quam corporales *Trentl. th. 5.*
nam & jurium donationes esse possunt, ut servitutum, quo-
niam utendi patientia similitudinem gerit donationis, ut
habitandi permissio, aut retinendi ad aliquod tempus debiti
potestas & licentia, *Conn. lib. 5. c. 9. n. 3.*

XX.

Necesse a. est donantis esse proprias, alienas n. donare
nemo potest, cum earum nequeat transferre dominium *d. l.
9. in fin.*

XXI.

Sed hic emergit quæstio: An donatio omnium bono-
rum regulariter valeat? Et affirmanda videtur, si de inoffi-
ciosis donationibus ratio non reclamaverit *l. si quis argen-
tum 35. §. ult. C. de don. l. 8. C. de revoc. donat.* quilibet n. re-
rum suarum moderator est & arbiter *l. 21. C. mandat.* ac ideo
pro lubitu de illis disponere & vel partem vel totam sub-
stantiam bonorum suorum in hunc vel illum donatione
transferre valet, *l. 17. §. 1. ff. que in fraud. cred. l. 8. C. de re-
vocat. don.* In quâ tamen donatione non veniunt nomina
debitorum sive jura & actiones, nec futura bona, *l. si ita. 7.
ff. de aur. & arg. leg. & l. testatorem 68. §. 1. ff. de leg. 3.* Cum
v. jus præsumat, aliquem donec vivat acquirere & lucrari
posse

posse de futuris testari poterit, *l. si defunctus 10. C. de arbitr. rut.*

405

XXII.

Donationis a titulo in alios transferri non possunt res sacrae sanctae religiosorum. Sicut nec in stipulationem deduci, cum non sint in hominum commercio *§. nullius & seq. Inst. de rer. div.* item Emphyteusis sine consensu domini, cuius in ea re versatur praedictum, alienari generatim prohibetur. *l. 3. C. de Jur. Emphyteus.* Sicut & vasallus feudum donare citra consensum Domini nequit, omnis n. feudi alienatio est interdicta, *l. c. un §. donare qualiter olim potuer. feud. alien.*

XXIII.

Sunt etiam prohibita donationes futurae hereditatis & partis ejus, nisi ipso consentiente fiant, de cujus successione agitur, & usque ad vitae finem in ea opinione permanente. *Conn. ad l. ult. de pact.*

XXIV.

Formalia seu forma donationis consistit in dando & accipiendo, ubi requiritur consensus tam donantis, quam donatarii, ut enim invitus nemo donat *l. rem legatam 15. ff. de leg. ita nec invito donatur l. invito 69. l. invitus 156. §. 4. ff. de R. I.*

XXV.

Sed si alicui quis aliquid donat praesenti, tacenti tamen, numquid talis praesentia cum taciturnitate inducit consensum ita ut perfecta sit & valeat donatio? Videtur quod sic, & est communis opinio, ut ait Cagnol. in *l. semper qui non prohibet n. 3. ff. de R. I. & attestatur Jul. Clar. lib. 4. §. donatio quest. 14. n. 5.* quoniam pro consentiente habetur, qui in suum commodum vel favorem quid fieri videt nec contradicit *l. si remunerandi, 6. §. si passus 2. & l. qui patitur 18. ff. mandati.*

B

Dona-

XXVI.

Donatio potest fieri vel in scriptis *l. si aliquid 13. l. vice. 20. l. donatio 25. C. de don. vel sine scriptis. l. in Extran. 29. ff. eod.* Sine scriptis fit communiter.

XXVII.

Est a. scriptura necessaria, cum donatio excedit summam 500. aureorum, & tunc ad insinuationem decurrendum est; Cum n. donare sit perdere & Reip. interfit, ne quis re sua abutatur *l. 2. ff. de his qui sui vel alien. jur. sunt.* modus talis donationibus statuendus fuit, ne clam ejusmodi donationes, quæ magnam patrimonii partem absumunt, celebrentur, sed actis insinuatae, magistratus competentis judicium effugere nequeant. *Heig. Inst. §. 2. n. 24. de don.*

XXVIII.

Et Insinuatio quidem est actus judiciarius, in quo donatio inter acta publica redigitur, ad fraudes vitandas & facilius probandam veritatem, *Giphan. ex Bart. in l. Modestinus ff. de don. §. 1. omnium C. de test. Inst. de don. tb. 13.*

XXIX.

Forma & Solemnitas insinuationis consistit in eo, ut donator coram iudice se sistat & voluntatem suam, quod videlicet Titio donare velit, manifestet, petatq; ut eadem voluntas à tabellione in scripturam redigatur vel in acta publica referatur *Heig. §. 2. Inst. de don. n. 26.*

XXX.

Non tamen propterea requiritur decretum iudicis, cum n. donatio ipsa dependeat, ex sola donantis voluntate, non est opus neq; causæ cognitione, neq; decreto, sed sola ipsius iudicis præsentia sufficit *Jul. Clar. lib. 4. §. donatio. n. 5. quest. 4.* unde nihil etiam interest, an in loco iudicij, an in alio quocunq;, honesto tamen & suspicione vacuo, actus hic celebretur.

XXXI.

Jure tamen Saxonico rerum immobilium donatio cur-
jus-

406
juscunq; valoris fuerint, coram eo magistratu vel iudice fieri debet, in cujus territorio bona illa sita sunt, *Sandr. lib. 1. art. 52. junct. gloss. sup. verb.* In allen Städten. aliàs est invalida *Wetsh. art. 20. § 6. cum gloss.* De mobilibus autem hoc jus concordat cum Jure Civili, quod scilicet absq; insinuatione rectè donari possint, nisi donatio 500. aureos ungaricos excedat, ut testat *Schneidw. §. alia Inst. de don. n. 11. § 14.*

XXXII.

Est a. insinuatio tam necessaria, ut donatio supra 500. aureos, etiam quando sit inter propinquos, actis sit inferenda *l. data 27. C. de don. & quidem coram iudice competente l. secundum 32. C. eod.* Quà omisà intra quantitatem 500. aureorum saltem valebit donatio, in reliquo inutilis judicabitur: ne utile per inutile, quando præsertim separatio commodè fieri potest, plane vitietur. *l. sancimus ubi Dd. l. d. tit. Heig. n. 27.*

XXXIII.

Reperiuntur tamen quædam donationes, in quibus insinuatio non requiritur, etiam si 500. solidos excedant, ut 1. In donatione pro redemptione captivorum *l. si quis. 36. C. eod.* vel refectione domus, quæ incendio aut ruinâ periit. *d. l. §. eandem 3. 2. C. eod.* 2. In donatione Imperiali facta à principe cuius, principivè ab alio. *l. 34. in auth. item § à privatis C. eod. ver.* ubi Baldus n. 4. rationem tradit, eò quod coram imperatore, tot principibus & nobilibus præsentibus nihil occultè & fraudulenter fieri possit. *Novell. 52. c. 2. 3.* In donatione propter nuptias *Novell. 119. c. 1.* 4. In donatione remuneratoria *l. si pater 34. § fin. § ibi Bart. & alii ff. de don.* 5. In donatione militibus factâ à duce belli seu magistris militiæ. *l. si quis pro redemptione 36. C. eod. & aliis, quas diffusè recenset Schneidw. §. alia Inst. de don. n. 27. § seqq.*

XXXIV.

Non immerito hic quæri solet: An juramentum insinuationis

B 2

nuatio:



104
nuationis defectum implere possit? & communis est Dd.
opinio, quod possit, rationesq; quam plures adferuntur,
quarum præcipua, quod hoc iuramentum super donatio-
ne non revocanda præstitum, tale sit, quod absq; dispendio
salutis æternæ servari possit, ideoq; secundum Canones re-
ligiosè sancteq; servandum, his n. in materia iuramenti
standum *in c. licet mulieres de jurejur. Andr. Gail. obs.*
39. lib. 2. n. 14. & Cic. lib. 1. offic. dicit, nullum vinculum
iuramento esse præstantius. Constat præterea donatio-
nem absque insinuatione non esse penitus inimicam, le-
gibus, cum non in omnibus omninò prohibeatur, sed
casus non pauci extent, in quibus etiam de jure civili abs-
que insinuatione subsistere possit: de quibus *th. præced.*
Gail. l. d. n. 24.

XXXV.

Porro si donatio facta sit Ecclesiæ seu piis causis, ex-
cedens 500. solidos, sine insinuatione an valeat? Et nega-
tiva videtur verior. Licet n. magnus sit favor piarum cau-
sarum, & Ecclesiarum, non tamen quid contra justitiam
debet fieri respectu earum quæ cultrices & actrices sunt
justitiæ. Accedit quod hæc solennitas propter publicam
utilitatem sit introducta, ne scilicet fraudes committan-
tur & homines decipiantur. *l. data C. de donis.*

XXXVI

Sed an testes ad donationem requirantur? Hæc qui-
dem donatio, quæ insinuatione coram iudice fit, nullo te-
stimonio indiget. *l. in don. 3. C. b. r.* Superfluum n. esset,
privatum testimonium, cum publica monumenta suffi-
ciant, *Conn. lib. 5. c. 9. n. 7.* sed & reliquæ sine testibus
fieri possunt. *d. l. 31.* etiam in extraneos & ignotos dum-
modo aliis idoneis documentis probentur. *l. in extran.*
29. C. de don. Interdum n. confici solet epistola *l. si quis*
33. C. eod. interdum donans manu suâ de eadem testatur,
l. vice 20. C. eod. & quibus aliis modis donatio confirma-
tur.

Effectus

XXXVII.

Effectus seu finis donationis inter vivos est, ut donatorem ad rem tradendam obliget, quâ traditione subsecuta dominium transfertur *l. tradition. 20. C. de pact. l. non idcirco. 12. C. de fid. Instr. præcisè a. res tradenda est, nec præstando interesse liberatur donator arg. l. 2. ff. eod. l. 52. §. 7. de oblig. & act. l. 35. C. de don.*

XXXVIII.

Quemadmodum verò traditio in donatione est necessaria, sic etiam oportet eum, cui traditur, accipere, alioqui traditio facta dici non potest. Satis est a. ipsi, vel servo aut filio ejus traditum, ut notat Paulus *l. absent. 10. ff. de don. sive mittas qui ferat, sive quod ipse apud se habeat, sive habere eum jubeas donari rectè potest. Sed si nesciat eam rem, quæ apud se est, sibi esse donatam, vel missam sibi non acceperit, donatæ rei dominus non fit, etiamsi per servum ejus cui donabatur missa fuerit, nisi ea mente servo ejus data sit, ut statim ejus fiat. Conn. com. lib. 5. c. 9. n. 4.*

XXXIX.

Porro donatione ita perfectâ, si donator in re tradenda sit negligens, duplici ratione cogi potest, conditione nimirum ex lege *Novell. 162. c. 1. si pacto perfecta sit donatio. l. si quis 35. §. sed siquidem C. de don. vel si stipulatio annexa fuerit ex stipulato agi potest. Bocerus de don. c. 3. n. 28.*

XL.

Nequaquam tamen in solidum, sed in id saltem, quod facere potest donator, condemnandus est, *l. D. pius. 28. ff. de R. I. ita quoque ut præter alimenta soltis omnne æs alienum, quo aliis est obstrictus, deducere possit, atque ad illius demum, quod his deductis superest, præstationem teneatur l. inter eos 19. §. ii. ff. de re judic.*

Cujus nulla alia ratio fingi potest, quam

B 3

quam

407

quàm ne donator sua liberalitate inops fieri periclitetur *l. ne liberalitate 50. ff. eod.* sive ut loquitur Modestinus *in l. ad res don. 62. ff. de editit edict.* ne suæ libertatis pœnam patiatur.

XLI.

Superest ut de revocatione donationis hujus quædam subjiciamus, quæ quidem quamvis temere admitti non debeat, cum pœnitentia non habeat locum in donatione inter vivos, ita etiam ut illa sit de sua natura contractus irrevocabilis, sicut cæteri nominati contractus *Jul. Clar. quest. 1. n. 3.* recensentur tamen tres præcipuæ causæ, quibus consideratis revocatio procedit.

XLII.

Prima est Ingratitudo donatarii *l. fin. C. de revoc. don.* ut n. donator quod promisit servare cogitur, sic donatarius liberalitate abuti non debet, *Heig. S. sciendum Inst. de don. n. 2.* abutitur autem maximè qui ingratum se præbet. Unde non immeritò Athenis olim intollerabiles ingrati habebantur, ubi etiam adversus illos actio erat constituta: Quia dandi & accipiendi beneficii commercium, sine quo vix vita hominum constat, perdunt ac tollunt omnes, qui benè merito parem referre gratiam negligunt. *Heidfeld. in Sphynge & præsci philosophi dicere soliti sunt: Ingratum si dixeris, omnia dixeris.*

XLIII.

Ingratitudinis a. causæ numerantur quinque; *in l. fin. C. de don. revoc.* 1. Si violentas manus donatarius in donatorem injecerit. 2. Si gravem vel atrocem injuriam ei fecerit. 3. Si grave damnum in bonis illius ex proposito & dolosè commiserit. 4. Si vitæ periculum inferre præsumserit vel insidiatus fuerit. & 5. Si modum vel conditionem donationis implere noluerit.

XLIV.

Hæc revocatio soli donatori competit, non a. ejus hæredibus *l. 1. 9. 10. C. de revoc. donat.* quod tamen ita limitandum videtur, si donator moriens causam ingratitude
com-

408
commiffam esse non ignoravit & tacuit. Secus si nescivit,
vel repentina morte præventus, jus suum exequi non potuit
tunc n. hæredes facti ignorantiam, quæ nemini facile nocere
alligare possunt: *Schneidw. §. sciendum. n. 12.*

XLV.

Hic notatu dignum, quod donator ex pacto de non re-
vocandâ donatione ex quacunq; ingratitude, non obli-
getur, est n. contra bonos mores initum *l. pacta qua contra*
6. C. de pact. & l. si usus. 27. §. pact. 4. ff. de pact. cum per hujus-
modi pactum donatarius invitetur ad delinquendum. *l. illud*
convenire 5. §. ac ne illa quidem 1. ff. de pact. dot. l. si unus 27.
§. pacta 4. ff. de pact.

XLVI.

Altera causa est liberorum supervenientia, de qua lo-
quitur *l. si nunquam. 3. C. de rev. don. quam Heig. n. 10.* memo-
rabilem vocat, quando quis carens liberis omnia sua bona
vel majorem eorum partem cuidam donavit; postea v. su-
sceptis liberis donationem revocare potest, veritati namq;
haud est consentaneum, quod quis velit in successione sua
extraneum filiis præferre, si ergo de liberis cogitasset, hujus-
modi donationem non fecisset: Jam si fecit, revocatione
filiorum calamitati succurrere potest.

XLVII.

Lex autem adducta quamvis loquatur de patrono &
libertis, ad quemcunq; donatorem liberos non habentem
porrigenda est. Quamobrem verè dici potest, tacitè do-
nationi inesse hanc conditionem; Si liberos non habuerit,
& consequenter natis liberis, quasi conditione deficiente
patri competere conditionem ob causam. *Bocer. de don. c. 3.*
n. 28.

XLVIII.

Quæri posset. An patre, dum viveret, tacente & semper
donatarius in possessione permittente, postea illo mortuo
hæredes donationem revocare possint? Et arripienda vide-
tur negativa, si n. donator donationem revocare voluisset,
senten-

sententiam suam alio modo declarasset, hæredes autem illi
contra ire prohibentur *Jul. Clar. quest. 23. in fin.*

XLIX.

Quid si Pater in donatione ipsa renunciaverit benefi-
cio *l. d. si unquam?* Hanc quæstionem esse adeo dubiam, ut
vix discerni possit, quæ opinio verior sit aut magis commu-
nis, testatur *Jul. Clar. quest. 22. n. 11.* & eandem decisione in-
digere Cæsarea, ait *Andr. Gaill. lib. 1. obs. 40. n. 13.* Nomi-
natus jam *Jul. Clar.* pro concordia ita distingui posse an-
notavit: *l. d. aut renunciatio d. l. non expressè constat,*
quia in genere facta fuit, & non valet: aut in specie hu-
ic *l. renunciatum vel à majore 25. an.* & consistit; vel à mi-
nore & corrui.

L.

Quid v. si liberi postmodum iterum decesserint, recon-
valescit nè semel revocata donatio? Negamus; dominium
n. rerum donatarum ad donatorem rediit, ut ipse textus *l. si
unquam* abundè arguit: Ergo sine facto ejus amplius ipsi
auferri vel ad alium transferri non potest, *l. id quod nostrum
ii. ff. de R. l. l. 2. ff. de his, qui sui vel alien. jur.* Actio quoque
quæ donatario competebat per liberorum supervenientiam
extincta, eventu revocari nequit *l. Mavius 66. § duorum
ff. de legat. 2. l. qui res 98. §. arcum 8. ff. de salut.*

LI.

Revocatur tandem hæc donatio, per querelam inoffi-
ciosæ, quæ, ut liberis, sic parentibus quoq; fratribusq; legi-
tima de fraudatis datur instar quærelæ inofficiosi testamen-
ti. *Trentl. th. 7. lit. b.*

LII.

Sed dubitatur à quibusdam, an inofficiosa donatio in
solidum, an verò, usq; ad legitimam saltem rescindatur? Et
asserendum non immeritò posterius, si non extraneo dona-
tio facta fuerit, *l. si totus 5. § l. si mater 7. ff. de inoffic. don.*
Secus a. si extraneo, tum n. per remedium *d. l. si unquam* ipsa
donatio supervenientibus filiis donatori in totum revoca-
tur, *Clar. quest. 24. n. 1.*

Et

LIII.

Et tantum de donatione simplici, quæ dicitur inter vivos. Pergimus jam nunc ad donationem conditionalem, ubi nobis occurrit primò donatio mortis causâ; Quæ est liberalitas quæ cogitatione seu consideratione mortis instantis vel futuræ fit, cum donans magis vult se habere rem donatam, quàm eum cui donat, & magis eum cui donat, quam hæredem suum §. *mortis causa* 1. *Inst. de don. l. 1. in princ. ff. de mort. caus. don.*

LIV.

Dico mortis causâ, quia in hac donatione requiritur, ut mortis mentio fiat alioqui haberetur pro donatione inter vivos *l. 27. & l. Sejo. 42. §. 1. ff. de tit. & an fiat donatio propter mortis suspicionem, ut loquitur Imperator in prin. Inst. de don. non ex metu aut periculo & cogitatione mortis, quæ donatori vel imminet vel obversatur, æstimandum est, sed ex verbis ipsius donatoris, quibus declarat se ob mortis suspicionem & cogitationem donare, Donell. lib. 14. Com. c. 33. n. 40. nisi ex aliis conjecturis mortis causa donatum esse evidenter colligi possit. Jason. in l. que dotis 33. ff. solut.*

LV.

Tres hujus donationis species constituuntur ab Ulpiano *l. 2. ff. de mor. caus. don.* 1. Cum quis nullo præsentis periculi metu conterritus sola cogitatione mortalitatis donat. 2. Cum quis imminente periculo, commotus ita donat, ut statim res fiat accipientis. 3. Si ita donat quis imminente morte, ut tum demum res donatarii fiat, cum mors fuerit secuta. Hæc posterior sub conditione pendet, si nimirum donans decedat. Prior v. confestim quidem est perfecta sed sub conditione si scilicet reconvalescat, resolvitur. *l. si alienam 13. §. Marcellus. l. senatus 35. §. mortis ff. d. tit.*

LVI.

Causa efficiens hujus donationis est donator, qui mortem considerans aut periculum aliquod metuens liberalitatem exercet, isq; naturaliter & civiliter adhuc actum aptus & habilis.

Materialia

409



LVII.

Materia eadem quæ puræ & simplicis, nam quæ inter vivos donari possunt, multò magis in ultima voluntate. Jure tamen Saxonico mulier geradam seu utensilia sua in cognatæ proximæ detrimentum, mortis causa donare non potest, ut habet *Sandr. lib. 1. art. 31. Reimm. diff. 9.*

LVIII.

Forma mortis causa donationis est. 1. Ut donator & donatarius sit præsens *l. inter mortis 38. ff. de mort. caus. don.* 2. Ut fiat in eâ mentio mortis vel alterius periculi, de quo *th. 7.* 3. Requiritur quinque testes *l. fin. C. d. tit.* non secus ac in aliis ultimis voluntatibus *l. fin. C. de Codicill.* nisi apud acta fiat, quo casu testibus opus non habet. *Wesemb. n. 6. ff. de mort. caus. don. in par.* & hodiè quidem in locis, ubi jus Sax. viget plerumque donationes mortis causa apud acta insinuantur & solennitates Juris Saxon. adhibentur. *Beust. ad l. admonend. de Jurej. n. 266.*

LIX.

Testes à. hic admitti possunt omnes, qui ad testamenta admittuntur, de quibus alii alibi.

LX.

Effectus sive finis hujus donationis est, ut voluntas seu dispositio donatoris viribus subsistat & aut rata vel immota permaneat, in secutâ morte, tanquam impleræ donationis conditione: aut resolvatur donatore in valitudinem integram restituto.

LXI.

Donare mortis causa possunt omnes qui non prohibentur, Prohibentur autem, qui testari non possunt, ut Impuberes & hoc propter defectum judicij & discretionis, quæ non præsumitur ante pubertatem *l. à quâ etate 9. ff. qui test. fac. pos.* 2. Furiosus, nisi habeat dilucida intervalla *l. 2. & furiosum 9. C. de test. vel donaverit ante-*

410
antequam efficeretur furiosus, §. *præterea* 2. *Inst. quibus non est permiff. fac. test.* & alii, de quibus supra diximus, quibus quoq; inter vivos donare non conceditur.

LXII.

Filius familias tamen, quamvis testamenti factio-
nem activam non habeat, etiamfi pater ei hoc permittat.
l. qui in potestate. 6. in pr. ff. qui test. fac. poss. [quia jus il-
lud publicum privatâ parentum autoritate immutari ne-
quit. *l. jus publicum. 38. ff. de pact.*] patre permittente mor-
tis causa donare potest, quia hæc donatio magis sapit na-
turam contractus, ut notat gloss. in *l. 2. super verb. legatum.*
ff. de toto preleg. quoad modum scilicet & formam, quia
utriusque & donatoris & donatarii præsentia & consen-
sus requiritur, ita ut præsens det præsentem *l. inter mortis*
38. ff. de mort. caus. don. reliquos a. privatorum contractus
filius familias consensu patris inire potest; E. & donare
l. tam is 25. §. 1. l. ubi autem 27. Wesenb. n. 4. in part. ff. de
mort. caus. don.

LXIII.

Pupillo sicut testamenti factio concessa non est, ita
nec mortis quidem causâ donationes permittendæ sunt,
l. 1. §. 1. de tut. & rat. nec autoritate quidem tutoris *d. l. 1. §. 1.*

LXIV.

Porro quemadmodum omnes qui testari possunt, do-
nare quoq; non prohibentur, ita qui ex testamento aliquid
capere possunt, his mortis causa donari conceditur. Nihil
a. ex donatione accipere possunt 1. deportati, sunt n. pere-
grini, *l. 1. C. de hered. Inst.* 2. Damnati in metallum nam
pœnæ servi sunt *l. si metallum 3. ff. de his que pro non script.*
hab. 3. Hæretici. *l. Manicheos, 4. §. 2. C. de heret. & Ma-*
nich. 4. Apostatæ *l. hi qui sanctam 3. C. de Apost.*

LXV.

Item §. Filii eorum, qui majestatis rei
sunt, *l. quisquis. 5. §. filij. 1. Cod. ad L. Jul. de*
C 2 Majest.

Majest. 6. Collegium illicitum l. collegium 8. C. de hered. Inst. 7. Mulier nubens infra annum luctus. l. si qua mulier 1. C. de secundis nupti. 8. Nati ex incestuoso & damnato coitu Auth. ex complexu C. de incest. nupt. Hic v. notandum, quod an capere possint vel non, tempus mortis, non v. donationis spectandum sit l. in mort. ff. eod.

LXVI.

Notatur etiam hic quod donatio mortis causâ legis æquiparetur §. *mortis causa 1. Inst. de don. l. ult. C. de mort. caus. don.* non solum si facta sit in testamento, sed etiam si ab intestato nam *l. d. ult. de omnibus mortis causa donationibus generaliter loquitur.* Speciales tamen quasdam habet differentias, quibus donatio ab his distinguitur quas recenset *Schneidw. §. 1. n. 25.*

LXVII.

Sequitur donationis causâ mortis revocatio, quæ contingit tripliciter: 1. Si donatorem pœniteat donationis *in pr. Inst. de don. l. mortis 16. & l. qui mortis 30. ff. de mortis causa don.* nam quod donatur mortis causa, datur ob causam, cui locus est, si mors sequatur. Non ignotum v. est, omnia, quæ ob causam dantur causa non secuta posse revocari *l. 3. in prin. l. 5. in pr. ff. de cond. caus. dat.*

LXVIII.

2. Si donator supervivat, i. e. saluus evadat, quod intelligendum est, si supervivat non donatario, qui tertius casus est, sed ei saltem periculo, quo commotus mortis causa donare voluit; quod ita procedere videtur quando donator tempore donationis gravi morbo laborabat, & in instanti periculo constitutus erat, ex quo mortem quotidie expectabat, vel militiæ aut periculosa navigatione se dabat; & tunc recuperatâ pristinâ valetudine, vel superato periculo ex tacita donatoris voluntate revocata intelligitur donatio *l. si mortis causa 29. de mor. caus. don. Heig. §. 1. n. 31. Inst. de don.*

A sano

LXIX.

411

A sano autem homine mortis causâ facta donatio, ex sequenti adversâ valetudine non revocatur *arg. l. non omnis in pr. ff. si certum, pet. ut Dd. not.* quamvis reconvalescat donator, quia non cessat tunc causa, non enim propter illam infirmitatem, sed propter mortem donavit, quam scit se evitare non posse, quæ adhuc causa subest. *Schneidw. Inst. de don. n. 21.*

LXX.

3. Si donatarius prius decesserit, vivo scilicet donatore *in pr. Inst. de don.* quia donatio causa mortis dum donatur adhuc vivit, ad hæredes donatarii non transmittitur *l. non omnis. ff. si certum pet.* nam si quis donaret causa mortis Titio & hæredibus suis, intelligeretur potius donare inter vivos, quam causa mortis, de quo *Schneidw. n. 23. Inst. de don. ex Bald. in l. 2. n. 4. in fin. C. de jur. dot.* hæc verò causa donationis revocandæ propria est hujus donationis, receditq; à natura eorum, quæ aliam ob causam dantur. *Donel. lib. 14. com. c. 33. n. 10.* Quod si autem ambo & donatarius & donator simul perierint, illum huic supervixisse, & ita donationem utiliter fuisse celebratam, interpretantur *Dd.*; ita ut actus magis valeat quam pereat. *l. si bi qui 16. ff. de mort. caus. don. Covar. lib. 2. ref. c. 7. n. 8. Eman. Costa in l. qui duos. §. eum in bello, in verb. patrem prius mortuum n. 15. de reb. dub. Heig. in §. 1. Inst. de don. n. 34.*

LXXI.

Est & alia donationis improprie species, quæ vocatur donatio propter nuptias quam maritus constituit uxori propter matrimonium, respectu dotis sibi datæ, in compensationem dotis *Schneidw. §. ult. n. 3. unde Cujac. lib. 5. obs. 4.* donationem propter nuptias mariti dotem nominat, ut dos & donatio semper se invicem consequantur *auth. dos data C. de don. ant. nupt.* de jure namque communi dos data donationem propter nuptias meretur & sic maritus cogitur dare tantum uxori ex causa donationis propter nuptias, quantum

C 3

ipse

ipse ex causa dotis ab uxore recepit d. auth. cuius tamen dispositionem in usu hodie non esse testatur *Iul. Clar. quest. 11. n. 1.* dum ex generali omnium ferè locorum consuetudine æqualitas illa non observatur *Gaill. lib. 2. obs. 8. n. 2. & seqq.* sed possunt disparia pacta fieri non solum quoad constitutionem, verum etiam quoad lucra, attestante eod. *l. d.*

LXXII.

De Jure quoque Saxonico cuiuslibet matrimonium incipienti concessum est donationem propter nuptias constituere in quantum velit, dummodo filii legitima non defraudentur *Col. dec. 192. n. 2. & seq.*

LXXIII.

Verùm cum hæc materia alibi inter dotes latius tractetur, jam ego pedem figo & disputationi nostræ finem, cum bono Deo impono.



Corollaria,

An donationes sint juris civilis vel gentium? Prius Aff.

An donatio Constantini M. quæ Sylvestro Papa Romam & totum ferè imperium occidentale cõcessisse dicitur in c. Constantinus dist. 96. sit facta? & si facta, an de Jure? Neg. utrumq.

Donatio facta Ecclesie an possit revocari propter ingratitude[m] prelati & capituli? Neg.

FINIS.

Pra-



Præstantis. juxta, & Litera-
tis. Dn. RESPONDENTI Fautori
& Amico suo perclaro.


Jam Bellona licet toto grassetur in orbe,
Iurag, continuis casibus usq, tenet:
Mens immota tamen Virtutis perstat amatrix
Atq, monet Musis invigilare suis.
Et merito: siquidem per duros mille labores,
Et nisi constanti Gloria ritè venit.
Id quoque nunc fausto tentas molimine, Amice;
Pulchrag, conatùs das documenta tui.
Fallor? an hoc Magno quod sub duce perficis olim,
Non sit pergratum, proficuumq, Tibi.

Moris & Amoris
ergò add.

Martinus Heymer /
Zittâ Lusatus:



415




Practiancils iuxta & Iicta-
uis Da Respondentii Fauron
& Amico suo perhinc.

Jan Peltow licet tota gratia in orbe
longo continuu calidum est
hinc memora tantu iuctu puchit amant
dignoyt iditit magistru hinc
Et mact: hinc hinc per dicit hinc laboru
Et hinc hinc hinc hinc hinc
In puchit hinc hinc hinc hinc hinc
Puchit hinc hinc hinc hinc hinc
Hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc
Hinc hinc hinc hinc hinc hinc hinc

Mort & Amoris
eye ad

Martinus Regner
Lind Martin




ULB Halle
004 961 196

3



WMA







Disputatio Juridica ¹⁵⁴⁰¹
De
DONATIONIBUS, ³²
Quam ^{1632 3}

Annunte divino Numine
*Ex consensu Magnifici Ictorum ordinis in Illustri
Academia Wittebergensi*

SUB PRÆSIDIO

*Amplissimi, Consultissimi & Excellen-
tissimi Viri,*

Dn. HENNINGI Grossen/
J.U.D. Prof. Publ. Curia Electoralis & Faculta-
tis Juridicae, nec non Judicij Provincialis in Inferiori Lusatia.
Asefessoris gravissimi, Domini Praeceptoris & Promotoris sui
aeterno honoris & observantiae cultu prosequendi

Placida disquisitioni publicè subicit

GOTTFRIDUS BIESSERUS
Sorâ Lufatus.

Ad diem 7. Jul. in Auditorio Ictorum.

WITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typographicâ JOHANNIS RÖHNERI,
ANNO MDC XXXII,